



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

lix. Ad accipitris frigus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

spongiam perlinunt. Nonnulli axungiam gallinæ, oleum rosaceū, serum, mastichen pari pondere in ollam nouam conijciunt, coquunt, locum afflictum perungunt, & pristinam valetudinem restituunt.

Ad vitreaginem oculorum.

ACCIPITRIS vitreagine laborare oculos, signa sunt tubercula ad oculos & nares velut paruulæ auellanulæ exorta. remedium hoc adhibeto. Lignum cupressinum acuito, idque ignitum ter in eius nares inserito, vbi vitreaginem videoas, locum exprimito, & mellis exiguum inspergito.

Ad accipitris frigus.

SI accipiter frigore rigeat, ita ipsum curabis. Piperis, pediculariæ, singulorum granis tribus in unum contritis illius palatum illinito, ad solem exponito accipitrē, deinde ipsum pascito, & perueniet ad sanitatem. Vel sumito succum cynoschesi, piperis, pollinem, apij semen, mellis medium partem, hisque simul commixtis carnem conspersam accipitri præbeto, & interiora omnia expurgabit. Vel allium simul cum pipere dabis illius cibatui, & rigor discutietur. Vel semen raphani, rutā sylvestrem, piper, cuminum, mista contundito, cibatui

V ij

objcito. Vel columbam scindito, eius intestina feruentia dato accipitri edenda.

Ad tardam aluum deijciendam.

ACCIPITREM tardantem eijcere excrementa, scito cruditate laborare. ita illi succurres. Stacten ex vitis palmitibus factam, ex ore tuo in os illius inspirabis, quantam capere poterit; & cum excrementa reddiderit, oui vitellum vnâ cum melle sumito, hisque carnem oblitam accipitri præbeto.

Ad tubera pedum.

SI accipiter tubera habet in pedibus, ita ipsum sanabis. Salem cum cochlea terrestri conterito, pedes illius defricato. vel super tuberculū hirundines paulisper imponito, tum postquam hirundines remoueris, vino vetere incalfacto locum foueto. vel hircinum stercus terito, eoque illius pedes oblinito.

Ad vermiculos pinnarum.

ACCIPITREM, cuius pinnæ vermiculis infestantur, sic curabis. scindito calamum, & telam aranei, quam poteris intus inuenire, ex aceto acerrimo terito, in locū, vnde cadunt pinnæ, imponito. Vel sumito sanguinem leporis, & vinum etus pari